

FRATRI SUAVISSIMO  
JOANNI CHRISTIANO  
SENCKENBERG,  
S. D. P.

HENR. CHRISTIANVS SENCKENBERG

**Q**ui ab ineunte ætate, omnibus iis, quæ **TIBI** fau-  
sta feliciaque contigerunt, **MY FRATER!** haud  
secus, ac meis, gaudio affici solitus sum, non  
possum non, in præsens **TIBI** novos honores gratula-  
ri, pro quibus rite, & ex more majorum obtinendis,  
consuetam pugnam hac luce inis. Dedisti amori in me  
**TUo**, ut nostram, in qua mihi Jus profiteri contigit,  
Academiam, omnibus aliis, etiam Patriæ nostræ magis  
vicinis, & hanc dignitatem sponte offerentibus, præfer-  
res. Gratias ago vel hoc nomine, & ut albus hicce  
dies, per multa annorum spatia, semper candidior  
**TIBI** recurrat, appreco. Neque vero eo modo ad  
huncce locum accedis, quo aliorum multi id hodie a-  
gere assolent, maturus hanc lauream, hæc decora  
ambivisti, quæ capere ante aliquot lustra licuisset. Ea  
fuit **B. PARENTIS** nostri institutio, cui plurima **TE**  
debere sponte fateris, quique ut Medicus essem, ante  
quam alii studiorum nomen capessunt, effecit. Meruisse  
**TE** quæ mox conferentur decora, judicium Honora-  
tissimorum Collegarum meorum **AMPISSIMÆ FA-**  
**CUL TATIS MEDICÆ** Professorum, satis sufficienti  
indicio est. Non nisi meritos admittere consuevit  
**GEORGIA AUGUSTA**, nec unquam ab hoc more  
recedet. Redibis ad communem **TIBI** mecum matrem  
ho-

honoribus gravis, redibis omni exceptione majore vir-  
tutis eruditionisve testimonio munitus, succedes P A-  
R E N T I in stadio amplissimo, bene merebore de Pa-  
tria & omnibus bonis. E æ nimirum fuere B. P A R E N-  
T I S, quem dixi, spes, quarum eum damnari fata no-  
luere, ad meliorem vitam promotum. Est aliquid  
Medicum agere, si non eo modo agere velis, quo vul-  
gus assolet. Longa experientia, multa adsiduitate, am-  
pla eruditione, insigni judicio hic opus. Tu, M I F R A-  
T E R! præfiscine id dicere Fratri liceat, cuncta hæc  
unus ad Praxin, quam vocant, affers. Jungis pro-  
priæ longam B. Parentis Observationum seriem, quas  
partim vivus ore tradidit, partim pluribus volumi-  
nibus contextas reliquit. Adsiduitatem & reliqua non  
prædico, partim ne modestiæ T U Æ sim gravis, par-  
tim ne T E prædicando, splendorem quasi genti no-  
stræ, ex T U I S virtutibus conciliare velle videar. Ac-  
cedit reliquis insignis pietas, omnibus certe utilis, in-  
primis vero Medico commendanda, qui sæpe in dis-  
crimine & animæ & corpori simul mederi debet & so-  
let. Ita instructus, tene illud quod cepisti iter, atque ad  
Optima quævis, ex honoribus in T E conferendis, ma-  
iores sume spiritus. Gratulor ego T E C I V I T A T I  
P A T R I A E, sed meam vicem simul ut doleam, conce-  
de, qui eo ipso illius diei dolores sentio, quo a T E  
denuo divelli necessum erit, cum negotia, ut domo  
diu absis, non permittant. Quam ægre feram illius  
diei tristitiam! sed hunc quidem lætitiae dabimus, de  
tristibus vero tum cum advenerint, cogitare satius  
erit. Ita salve! Dab. prid. Non. Septembr.

M DCC XXXVII,



30 694 996

SK 14/345

Sammlung Senckenberg